

Z. b.
221

SACRUM NUPTIALE

Casto Amori, & illibato Hymenao,

Imò potiùs

Reverendo & Doctissimo Viro,

DN. JOHANNI EI-
CHELBRUNNERO, PASTO-
RI IN WOLMERSTEDT VIGILAN-
TISSIMO, SPONSO.

Et X 2046994

Lectissimæ, ac pudicissimæ Virgini

CATHARINÆ,

Integerrimi Viri, dum vixit, ARNOLDI FLACHSKAMP,
Civis & Senatoris apud Wihenses honestissimi re-
lictæ filia.

Jam verò Reverendi, & Doctissimi Viri,

Dn. JOHANNIS RÖMULDI,
PASTORIS IN ALLERSTED VIGILAN-
TISSIMI PRIVIGNÆ CHARÆ,
SPONSÆ.

Ad Nuptias

XIII. Cal. Decembr. Anno 1610. celebratas.

Dedicatum à

CHRISTIANO PODENSTEIN SCHOLÆ
Witzlebianæ ad Onestrum RECTORE.

1978 J E N Æ P 119

TYPIS RAUCHMAULIANIS.





Amo, Doceo, Lego,
Audio.



I patris dolor, & patriæ pereuntis ima-
go
Cogeret heu fletus multiplicare
meos,
Dum Pater, excepit quem septuage-
simus annus,
Vulcano in cineres exsuperante ruit,
Forsitan argutum carmen, quod vivere posset,
Concinerem thalamo, sponse colende, tuo.
Nunc verò lacrimæ perturbant gaudia nostra,
Et nostræ miserum barbiti inerrat epos.
Pauca tamen, quæ Grammaticæ tibi verba figurat,
Quæq; tuis thalamis donat habere, cape.
Nam si quæris in amplexu mollissima quæ sint,
Verba, aut per noctem quæ tibi dicet Amor,
Nil nisi Amo, doceo, lego, & Audio quatuor ista
Tunc benè percipies quod tibi cantet Amor,
Sume tibi exemplum, thalamum feliciter intra,
Quid jam? toto inquis pectore totus Amo.

A 2

Eia age,

¶(o)¶

Eia age, sponsa, veni, quid gaudia nostra moraris?

Nam me constanti, sat scio, pectore *Amas*.

Ipsa venus jubet hoc, mollesq; adspirat amores,

Basiaq; & risus dulcis amoris *Amat*.

Quin ergo, dum fata sinunt, jungimus ora,

Quodq; Deus thalami sanxit, *Amamus* opus.

Vos in Amore duces Veneris duo sydera, Ocelli

Mecum una vestrae basia *Amatis* heræ.

Ah peteant, qui vulgivagos sectantur amores,

Et qui conjugium non reverenter *Amant*,

Talia dum recolis mollis est flamma medullas,

Et toto flagrat pectore nil nisi *Amor*.

Et jam vesper adest, jam scandit eburnea lectum

Sponsa, heu quæ sponsum jam nova cura coquit?

Heu quid agat dubius? quæ primum exordia sumat?

Quid primum artifici tangat & ille manu?

Nec mora. Sponsus ait, *Doceo* te, sponsa, meritam

Affore, & in lecto memet adesse virum.

Tu vero, columella, *Doces* tibi nostra placere

Vota, & te leges ferre in amore meas.

At genialis amor *Docet* ut concordia constans

Nectat, quos junxit firmo in amore Deus.

Quin igitur nostro exemplo sacra jura *Docemus*

Rite placere homini, ritè placere Deo,

Vosq; calumbatim quæ jungitis ora *Docetis*

Oscula nos parili federe ferre jugum.

Comprobat hoc longis bona Fama illustrior annis,

Atq; vetustatis sic monumenta *Docent*.

Quare

℞(o)℞

Quare dum viget ingenium tractabile ab arte,
 Semina doctrinæ mens studiosa cape.
 Sed satis est. Paulum tandem requiescite, sic Nox
 Præcipit, & requiem post sacra poscit Amor.
 Nox abit interea, radiisq; micantibus adstans
 Phosphorus auroram provocat, illa diem.
 Surge age, sponse, alius restat labor, ædibus ñsdem
 Segnities, & Amor non stabulare queunt.
 Sponsus ad hæc. Sacras nocte hac Hymenæus ad
 aras

Venit, cuius ego nunc monumenta *Lego*.
 O te lectorem! sed quid *legis*? omnia nempe
 Dona pudicitia, quæ dat amica Charis.
 Et mea sponsa *legit* titulum, famamq; mariti,
 Nomen & à sponso posteritatis habet.
 Nunc adeo *legimus* felicia tempora, quando
 Desuper effundet lacq;, merumq; Deus.
 Sic quoq; vos Juvenes, *Legitis* prosperrima cæli
 Commoda, si vobis conjugii ordo placet.
 Qui vero obscænâ Venerem, turpesq; Hymenæos
 Quærunt, hi morbos, exitiumq; *legunt*.
 Talia ne fiant, lecturam hanc quilibet optet,
 Inq; hac discipulam poscat habere schola.
 Lectio lecta placet, decies revoluta placebit,
 Ergo tibi ut placeat lectio, sponse, lege.
 Sed jam finis adest, genialia sacra peracta
 Sunt, atq; officii nunc repetenda via est.
 Lætatur sponsus, cui fortuna aurea plausum
 Excitat, inq; domo pulchra marita sedet.

A 2

Ecce

Ecce autem unde ruunt voces? quis verberat aures

Ventus? quæ thalamum sæva procella quatit?

Audio sponsus ait nisi magnos esse labores

Iniunctos, curas nec procul esse graves.

Tu quoq; chara *Audis* conjux, quod poscat acetum,

Et lanam, & vestes, atq; alimenta domus.

Nec nova lex. Curas mordaces quilibet *Audit*,

Et cum sole novo crescit, abitq; labor.

Nec longum tempus, nomen prædulce Parentis

Audimus (votis anune Christiis)

Vos etiam *Auditis* juvenes, juvenesq; puellæ,

Dius Amor quod vos in sua castra vocet.

Quid vero tollit stipata examine se CRUX?

Altaq; cur thalami vult superare fores?

Parce novis sponsis. Non hanc audite Camænæ.

En versus refugit, nec dat habere locum.

At vos, quos conjunxit *Amor*, constansq; voluntas,

Conservet thalami causa caputq; Deus.

Hæ valeant, quicumq; audent inflectere verba,

Et tali eructant talia verba sono.

Cum *voluisssem*, cum *voluisses*, cum *voluisset*

Conjugii tedæ displicuere tuæ.

Cum *potuisssem*, cum *potuisses*, cum *potuisset*

Nec tua vota, tuæ nec valere preces.

Quin potius constans hæc stet sententia, in aurem

Quam pius instillet conjugis usq; sui.

Cum *statuisssem*, cum *statuisses*, cum *statuisset*

Nempe ego, tu, Christus, vota habuere fidem.

Heic

✠(o)✠

Hinc *Amor* in nobis, agitante celsissimus illo,
 Ex illo ipse tuus, tu mea semper eris.
 Hæc quia vota tuæ sponsæ, & tua, sponse, fuerunt,
 Cepta fecundabit, vota; vestra Deus.
 Utq; Deus thalamum fœcunda prole coronet
 Comprecor, à cuius Numine cuncta fluunt.

F I N I S.



Don. Z 6 221.

Q K.

1017

SACRUM NU
Casto Amori, & illibato
Imò potiùs
Reverendo & Doctissim
DN. JOHAN
CHELBRUNNER
RI IN WOLMERSTED
TISSIMO, SPO
Et
Lectissimæ, ac pudicissim
CATHAR
Integerrimi Viri, dum vixit, ARNO
Civis & Senatoris apud Wihense
lictæ filia.
Jam verò Reverendi, & D
Dn. JOHANNIS
PASTORIS IN ALLERST
TISSIMI PRIVIGNÆ
SPONSÆ.
Ad Nupt
XIII. Cal. Decembr. Anno
Dedicatum à
CHRISTIANO PODENST
Witzlebiana ad Onestrum
 1918 J E N A
TYPIS RAUCHMAU

